



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cavssa Helvetica Orthodoxae Fidei

Murner, Thomas

Lucernae, 1528

VD16 M 7034

Conclusio XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29525

A C T A
CONCLUSIO XIII.

Famosus est qui tumultu, seditione, concussione, religiosorum peculia, mercedes laborum suorum rapit, despoliat, scindit, frangit, & quia se atque sua bona deo dedicarunt, sacrilegij poena grauissima mortis puniendus.

Sexti euangelici nebulones se excusando dicunt ciuitatum communitates in culpa esse, quas uel domare non possunt, neque imperio gubernare. Si nesciunt regnare, deponant imperium, consensus posterior mentes eorum iudicat uanas. De tumultu habet Exo xxiiij. Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a uero deuias. De seditione ita lex ipsa perhibet. Per hanc legem punitur qui incipit & occasionem praestitit seditioni ff ad le. Cor. de sicca & uene. le. Eiusdem legis pars. Item qui auctor. Est enim scelus sacrilegio simile, ubi homines armati conueniunt contra rem publicam & seditionem facere publicis iudicijs corrigendum.

Sed & C. de his qui ad ec. confu. le. denuntiamus ita habetur. Denuntiamus uobis omnibus, ut in sacro sanctis ecclesijs & in alijs quidem uenerabilibus locis, in quibus cum pace & quiete uota competite celebrari, abstineatis ab omni seditione. Nemo conclamationibus utatur, nemo moueat tumultum, aut impetum committat, uel conuenticula collecta multitudinem quolibet parte ciuitatis uel uici, uel cuiuscumque huiusmodi colligere, aut celebrare conetur. Nam si quis aliquid contra legem a quibusdam aestimet perpetrari, licet ei adire iudicem & legitimum postulare praesidium. Sciant sane omnes quod si aliquis contra huiusmodi edicti normam, aut agere aliquid, aut seditionem mouere tentauerit, ultimo supplicio subiacebit.

De concussione docet Iohannes Baptista milites dominorum dicens, neminem concutiatis. Et si simulatio praesidis iussu concussio interuenerit, ablatum eiusmodi terrore restitui praeses uincit iubet, & delictum coerces ff de concussio. le. i. Ita deberent ciuitatum consules seditiosos compescere, quid autem usque

in hac

M V R N E R I.

in hæc tempora fecerunt sufficienter uisum est.

Actu. xxv. ita dicit diuus Paulus. Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari, Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignū morte aliquid feci, non recuso mori. Si uero nihil est eorū quæ ibi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. O uos heretici & iniusti ciuitatum cōsules & Senatores, nos clerici & monachi una ad Cæsaris tribunal astamus, eius sententiæ subiecti, ibi utriq; dicit iudicandi, nihil uobis noximus, ut met ipsi bene nouistis. Si enim morte quid dignū egimus, mortē uoluntarie patiemur. Si aut̄ omnium horū in nobis nulla est culpa, in quibus nos accusatis, quare ergo patimini nos depredari & nocere nobis uestros seditiosos in corporibus, bonis & honoribus. Appellamus cum diuo Paulo Cæsarem. Sed eius rei deus in cœlis cōmiserat soli, & mundo uniuerso notū est, quod hæc omnia in præiudicium & contemptū Cæsaris facitis, ita tumultuantes ne imperium suum in exordio firmare quæat, & pacem regno donare, repugnareq; non possit Theucro crucis Christi hosti & inimico, ita uos docent uestri fures prædicatores superiorib; & principib; uestris obedire. At spero deum e proximo Cæsari affuturū, ad opprimendā hanc uim uestrā & in enarrabilē iniustitiā, hocq; confidite, uester erit patiendi locus, quum uerit Cæsar, sicut noster iam adest nobis.

De mercede uero laborū religiosorū & oim manibus laborantū Deut. xxiiij. habet. Non negabis mercedē indigentis & pauperis fratris tui siue aduenæ, qui tecū morat̄ in terra, & intra portas t̄as est, sed eadē die reddes ei precium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animā suam, ne clamet cōtra te ad dñm & reputetur tibi in peccatū. Quo ergo iure contra hoc diuinū ius non solū mercedē religiosorū reddere differtis, sed omnino aufertis, uos uideritis.

CONCLUSIO XV.

Famosus est qui religiosas edes expilauerit, effregerit, expu-

Vu